UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 587. Pelagii Pap. II. Annus 10. Mavritii Imp. Annus 2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

IESV CHRISTI
Annus 587.

PELAGII PAP. II. Annus 10. MAVRITII IMP. Annus 2.

I. ADSVNT Ianuarii Kalendæ anni redemptoris quingenteſimi octogeſimiſeptimi, Indictionis quintæ, cum ſecundum in Imperio annũ Mauritius ageret, quo Conſulatũ abſq; collega ſuſcepit, vt ita reliqui eius Imperij à primo Conſulatu nomen multiplicato numero ſortirentur: quod factum reperies apud volumen epiſtolarum S. Gregorij, in cuius libri ſecundi exordio ſeptim⁹ numeratur annus à Mauritij Conſulatu.

II. DE TEMPORE SYNODI CONSTANTINOPOLITANÆ. Hoc ipſo anno à Ioanne Epiſcopo Conſtantinopolitano celebrata eſt Synodus in cauſa Gregorii Epiſcopi Antiocheni. De hac nos acturi, primum omnium, vt ex more rationem temporis ſartam tectam in omnibus relinquamus, plura ſunt, quæ hoc anno eã habitã Synodũ docẽt: atq; in primis dum S. Gregorius decimatertia Indictione numerat à tẽpore huius Synodi annos octo: iã ſcribens ad Eulogium Epiſcopũ Alexandrinum dicta Indictione decimatertia, hæc habet a: *Ante annos ſiquidem octo, ſanctæ memoriæ Pelagii prædeceſſoris mei tempore, frater & coepiſcopus noſter Ioannes in Conſtantinopolitana vrbe ex cauſa alia occaſionem quærens, Synodum fecit, in qua ſe Vniuerſalem appellare conatus eſt. Quod mox idem deceſſor meus vt agnouit, directis litteris, ex auctoritate S. Petri Apoſtoli eiuſdem Synodi Acta caſſauit: quarum videlicet epiſtolarum ſanctitati veſtræ exemplaria ſtudui deſtinare. Diaconem vero, qui iuxta morem pro reſponſis Eccleſiæ faciendis piiſſimorum dominorum veſtigiis adhærebat: cum præfato ſacerdote noſtro Miſſarum ſolemnia celebrare prohibuit.* hæc Gregorius de tempore Synodi & rebus in ea geſtis. Idem inſuper redditur certum tempus ex ſententia Euagrii b, dum numerat annos ſexaginta & vnum à tempore memorabilis illius terræmotus, quo Antiochena ciuitas proſtrata eſt anno Domini quingenteſimo vigeſimoquinto, vſque in hunc annum, vel potius ſuperiorem (ſi anni exacti non numerentur: quod magis concordat Epiſtolæ Pelagij Papæ, vt ante Synodum ſcripta dici poſſit) quo poſtquam Gregorius Antiochenus Epiſcopus è Synodo reuerſus eſt, iterum contigit eandem ciuitatem eadem funeſta clade vexari. Hæc quo ad tempus ſatis.

a Greg. l. 4. Indict. 13. ep. 36.

b Euagr. li. 6. c. 7.

III. DE CAVSA GREGORII EPISC. ANTIOCHENI. Quod vero pertinet ad Gregorii Epiſcopi Antiochiæ cauſam, quam ad ſuos explẽdos affectus Ioannes Conſtãtinopolitanus Antiſtes (vt ex Gregorio Papa vidimus) ſtulte pertexuit: * hæc recitem*, quę Euagri c de ea habet in hæc verba: *Cum Aſterius Orientis gereret Præfecturam, & contentio inter eum & Gregorium orta eſſet: primum omnes primores ciuitatis Aſterii partibus ſe addixerunt: deinde adiuncti ſunt etiam ei, qui populares erant & artes exercebant in ciuitate (ſinguli enim ſe aliquid damni a Gregorio accepiſſe affirmabant) poſtremo vero plebi, vt conuicia in Gregorium iaceret, permiſſum erat. Ambo igitur & optimates & populares in eandem cum plebe quaſi pedibus iere ſententiam: & cum in plateis, tum in theatris probra & contumelias in Epiſcopum Gregorium intorquere non ceſſauere. Quin etiam ne a ſcena quidem talis abfuit petulantia. Quapropter Aſterius abdicatur Præfectura, ad quam adminiſtrandam Ioannes eligitur, cui Imperator dat mandatum, vt de ſeditione illa accurate inquireret.*

c Euagr. l. 6. c. 7.

IV. GREGORIVS ABSOLVTVS. *Hic Ioannes vir ſane erat nec ad minima quidem negotia procuranda, nedum ad tam grauem ſuſcipiendam prouinciam idoneus. Itaq; cum ciuitatem tumultu ac ſeditione referſiſſet, edictumq; publicaſſet, cuiq; liberum eſſe pro arbitratu ſuo Epiſcopum inſimulare: libellum contra eum ab Argentario quodam accepit, quo accuſabatur cum propria ſorore alteri viro in matrimonium data rem habuiſſe. Recepit item ab aliis eius generis hominibus, quod profſperum ciuitatis ſtatum non ſemel, ſed ſæpius labefactarat. At Gregorius cum de eo ſe purgaret crimine, tum de aliis ad Imperatorem & Concilium prouocauit. Me igitur cum eo aſſidue verſante, præſenteque, iter capit Conſtantinopolim de criminibus his ſe purgaturus. At cum Patriarchæ omnes partim per ſe, partim per vicarios quæſtioni de Gregorio habitæ intereſſent, ac cauſa eſſet coram ſacro Senatu & multis ſanctiſſimis primariarum vrbium Epiſcopis cognita: poſt multas & graues contentiones ſecundum Gregorium ſententia promulgata eſt, vt eius accuſator acriter excruciatus & circum ciuitatem actus, exilio mulctaretur. Itaque Gregorius ad ſuam reuertitur ſedem.* hactenus Euagrius de cauſa Gregorij Epiſcopi, ſed (vt diximus) hi erant Ioannis Conſtantinopolitani prætextus cogendæ Synodi, re vera autem vt illud de nomine Oecumenici adimpleret, quod ex animi ſententia omnino perfecit.

V. PELAGIVS IRRITAM REDDIT SYNODVM CONSTANTINOPOLITANAM. Cum hæc autem in Synodo Cõſtantinopoli eſſe acta Pelagius Pontifex Romanus accepiſſet: cuncta delenda eſſe præter ſententiam pro Gregorio latam, datis ad Ioannem Conſtantinopolim litteris ſcripſit: & Archidiacono ſuo illic agenti, vt irrita cuncta redderet, præcepit. Id quidem tum ad Euſebium Epiſcopum Theſſalonicenſem (vt dictum eſt) ſcribens S. Gregorius teſtatus eſt, tum etiam in epiſtola, quam poſtea ad ipſum Ioannem dedit, affirmat. ſunt in epiſtola ad Ioannem hæc verba d, dũm exprobrat ipſi, quam prætulit, hypocriſin: *Qui enim (inquit) indignum te eſſe fatebaris, vt Epiſcopus dici debuiſſes: ad hoc quandoque perductus es, vt deſpectis fratribus, Epiſcopus appetas ſolus vocari. Et quidem hac de re ſanctæ memoriæ deceſſoris mei Pelagii grauia ad ſanctitatem veſtram ſcripta tranſmiſſa ſunt: in quibus Synodi, quæ apud vos de fratris quondam & conſacerdotis noſtri Gregorii cauſa congregata eſt, propter nefandum elationis vocabulum Acta diſſoluit: & Archidiaconum, quem iuxta morem ad veſtigia dominorum tranſmiſerat, Miſſarum vobiſcum ſolemnia celebrare prohibuit.* hæc Gregorius de rebus tunc à Pelagio Papa geſtis.

d Greg. l. 4. epiſt.

VI. Affirmat hoc ipſum in dicta epiſtola ad Euſebium Epiſcopum Theſſalonicæ, vbi de Actis eiuſdem Synodi ex parte abolitis ab ipſo Pelagio, integris remanentib. quæ in cauſa Gregorii Antiocheni acta fuiſſent, hæc ait e: *Cognoſcet ſiquidem fraternitas veſtra, Ioannem quondam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Antiſtitem contra Deum, contra pacem Eccleſiæ in omnium deſpectum & iniuriam ſacerdotum, modeſtiæ & manſuetudinis terminos exceſſiſſe, & illicite in Synodo ſuperbum ac peſtiferum Oecumenicon, hoc eſt, Vniuerſalis ſibi vocabulum vſurpaſſe. Quod beatæ recordationis Pelagius deceſſor noſter agnoſcens, omnia Geſta eiuſdem Synodi præter illa, quæ illic de cauſa venerandæ memoriæ Gregorii Epiſcopi Antiocheni ſunt habita, valida omnino diſtrictione caſſauit, diſtrictiſſima illum increpatione corripiens: vt ſe a nouo & temerario ſuperſtitionis nomine cohiberet: adeo vt ſuum illi diaconem (niſi tantum nefas emendaret) procedere prohiberet.* hæc ibi. Erat magnæ indicium inflictæ pœnæ, prohibere, ne diaconus Apocriſarius in ſacris cum Ioanne communicaret: ſignificabatur enim his ſymbolis, ipſum Conſtantinopolitanum Epiſcopum reiectum eſſe à communione Apoſtolicæ ſedis. Sed par eſt hic ipſas Pelagii litteras recitare.

e Greg. li. 7. epiſt. 1.

Cum igitur Pelagius Papa accepiſſet in Synodo Conſtantinopolitana (vt vidimus) hoc anno habita ipſum Ioannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum Oecumenici nomen vſurpaſſe, cõtinuo aduerſus eum datis litteris, quæ in dicta Synodo facta ſunt ad eam rem ſpectantia, irrita reddidiſſet. Extant ipſæ litteræ omni memoria digniſſimæ, quæ vt Chriſtiano orbi innoteſcerent, exemplar ipſarum S. Gregorius f Papa ſucceſſor ipſius Pelagii miſit ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum. Datæ illæ quidem habentur ad omnes Epiſcopos, qui eidem Synodo interfuerunt, vt ipſarum docet inſcriptio, quæ eſt eiuſmodi:

f Greg. li. ...

Dilectiſſimis fratribus vniuerſis Epiſcopis, qui illicita vocatione Ioannis Conſtantinopolitani Epiſcopi ad Synodum Conſtantinopolim conuenerunt, Pelagius. cur autem illicita vocatione conueniſſe dicat, ipſe in connexu epiſtolæ declarat, quæ ſic ſe habet:

Manifeſto (ſicut optauimus) per gratiam Dei lumine Euangelicæ veritatis, ab vniuerſali Eccleſia perniciosiſſimis erroribus ille depulſis ineffabiliter gaudemus in Domino: ſed non modico contriſtamur mœrore, quia ea, quæ olim calcata fuerant, & fun-

dem

ditus damnata, nec vnquam fieri debuerant, rediuiuis radicibus germinant atque pullulant. calcata dicit atque damnata, reſpectum habens ad ea, quæ S. Leo Papa ſcripſiſſet ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, & Gelaſius in Acacium (vt ſuis locis abunde ſuperius dictum eſt) cum ſe ſuper omnes collegas Patriarchas Epiſcopus Conſtantinopolitanus erigeret. Sed pergit: *Et quoniam multa per prauitudinem poſſunt generare, proueniunt: neceſſe eſt ea caſſare: quæ contra ordinem & omnem auctoritatem facta eſſe noſcuntur. Vnde fratres, reiecta penitus audacia, quæ contra Apoſtolicam fidem, & contra ipſam Domini Saluatoris noſtri vocem, qua dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: ſumpta eſt diſputandi contra Domini præcepta, vana errantium corda conquieſcant: nec liceat defendi, quod non licuit agere.*

IX. *Relatum eſt ad Apoſtolicam ſedem, Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum Vniuerſalem ſe ſubſcribere, voſq; ex hac ſua præſumptione ad Synodum conuocare generalem: cum generalium Synodorum conuocandi auctoritas Apoſtolicæ ſedi beati Petri ſingulari priuilegio ſit tradita: & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apoſtolica auctoritate non fuerit fulta. Quapropter quicquid in prædicto veſtro conuenticulo (quia Synodus taliter præſumpta eſſe non potuit) ſtatuiſtis ex auctoritate S. Petri Apoſtolorum Principis, & Domini Saluatoris voce, qua beato Petro poteſtatem ligandi atq; ſoluendi ipſe Saluator dedit: quæ etiam poteſtas in ſucceſſoribus eius indubitanter tranſiuit: præcipio omnia, quæ ibi ſtatuiſtis, & vana & caſſata eſſe: ita vt deinceps numquam appareant, nec ventilentur. Etenim ipſe Saluator beato Apoſtolo Petro, tamquam ipſa per ſe veritas loquitur dicens a: Quæcumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælo: quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Multis denuo Apoſtolicis & canonicis atque Eccleſiaſticis inſtruimur regulis, non debere abſque ſententia Romani Pontificis Concilia celebrari. Quapropter (vt iam dictum eſt) recte non Concilium, ſed veſtrum conuenticulum, vel conciliabulum caſſatur, & quicquid in eo actum eſt, irritum habetur ac vacuum. Vos quoq; deinceps, vt nullius hortatu talia præſumatis, ſi Apoſtolicæ ſedis communione carere non vultis. Modo vero ideo ſuſpenditur vltio, vt locum poſſit habere correctio.*

a Matth. 16.

X. *Prædeceſſores vero Ioannis, & ipſe Ioannes non ſemel, ſed ſæpiſſime epiſtolas atque libellos propria manu ſubſcriptos ſanctis anteceſſoribus noſtris miſerunt, quibus coram Deo proteſtati ſunt, nihil vnquam proterue contra Apoſtolicam ſedem agere, nec de illius aut aliorum priuilegiis quicquam vſurpare: qui hactenus in archiuis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſub ſigillo ac chirographis eorum roborati habentur integri. In ipſis enim epiſtolis vel libellis anathematis vinculo ſe & ſucceſſores eorum conſtrinxerunt, ſi vnquam aliquid contra præſumpſiſſent, aut contra Apoſtolicam, vel vllum alterius Epiſcopi ſedem quicquam aduerſi quoquo modo eſſent moliti.*

XI. *Idcirco eos non eſt neceſſe excommunicare, aut anathematizare: quia ipſi anathematis vinculo propriis manibus profeſſiones ſuas, ſuaq; ſcripta roborando, conſtrinxerunt. Sciat ſe tamen & ipſe Ioannes, niſi errorem ſuum cito correxerit, a nobis excommunicandum fore, & Apoſtolicæ ſedis, atq; omnium ſanctorum Epiſcoporum communione carere.*

XII. *Vniuerſalitatis quoque nomen, quod ſibi illicite vſurpauit, nolite attendere, nec vocatione eius ad Synodum abſque auctoritate ſedis Apoſtolicæ vnquam venire: ſi Apoſtolicæ ſedis ac cæterorum Epiſcoporum communione vultis frui. Nullus enim Patriarcharum hoc tam profano vocabulo vnquam vtatur: quia ſi ſummus Patriarcha Vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit hoc, abſit a fidelis cuiuſquam mente, hoc ſibi velle quempiam arripere, vnde honorem fratrum ſuorum imminuere ex qualicumque parte videatur. Quapropter charitas veſtra neminem vnquam ſuis in epiſtolis Vniuerſalem nominet: ne ſibi debitum ſubtrahat, cum alteri honorem offert indebitum.*

XIII. Sed hic, amabo te, ſiſte gradum, lector: ſpectaculum tuis oculis ingeram, vnde rideas. Ecce progreditur è cathedra Iuris profeſſor † factus vno momento Theologus, atque veluti in ſcena mimus, mutatis veſtibus, ac ſuperinducta perſona, licentia hiſtrionica ſtatim vociferari incipit aduerſus Romanos Pontifices, quod ſuper vniuerſalem Eccleſiam ſibi auctoritatem arroget ac nomẽ: ita rauce inclamans & obſtrepens tuba Nouantium, vt dormientes in cunis abſterrere poſſet infantes. Ex recitatis enim modo Pelagij Papæ verbis, quibus ait neminem Patriarcharum vti debere nomine Vniuerſalis, ipſe mox infert, primatum eſſe in Eccleſia non debere, ac proinde contra Pelagij aſſertam ſanctiſſimi Papæ ſententiam Romanos Epiſcopos ſibi ſuper omnes Eccleſias vendicare primatum. O Cymmeriis tenebris offuſam mentem!

† ... gium commētarium ſcripſit, & duplicato ſcripto eius defenſorem exagitat.

XIV. Sed ignoſcendum miſello nonniſi ex illatis in Gratiani b arcam fragmentis ſtipem mendicanti. Si enim ipſam hanc Pelagij integram epiſtolam perlegiſſet, in qua tot robuſtis ſententiis elucet primatus Romani Pontificis: erubuiſſet certe, ſenſiſſetq; damnum ſuum, nimirum ex ſuo egeſto ſterco inſtar turdi ſibi viſcum paraſſe. Sed accipe, quot valida Pelagij Papæ in hac epiſtola ſint de primatu Romani Pontificis prodita argumenta, atq; firmatæ ſententiæ. Primo quidem, dum habet Romanum Pontificem verum legitimumque Petri Apoſtoli ſucceſſorem: cumque addit à Chriſto in eum collata priuilegia, eadem in ipſius ſucceſſorem redundare præſtantiam. Secundo, dum firmiter aſſeuerat ius generalis Synodi conuocandæ, eiuſque firmandæ, vnius eſſe tantum Romani Pontificis. Tertio, dum quæ acta ab ipſis eſſent in eadem Synodo vniuerſali, re ipſa Pelagius ipſe nullius eſſe præcipit auctoritatis. Quarto, dum iudicium in Orientis omnes Patriarchas exercet, ſententiamq; excommunicationis comminatur, ſi quid eiuſmodi inconceſſum præſumant. Quinto, dum diſertis verbis affirmat, prædeceſſores eiuſdem Ioannis Conſtantinopolitanos Epiſcopos ſæpiſſime (vt ait) epiſtolis ſcriptis, datiſque libellis propria manu cõſignatis eſſe profeſſos Romanorum Pontificum primatum, quem & numquam in poſterum ſub obteſtatione diuinæ ſententiæ labefactare polliciti ſunt.

b Cap. Nullus Patriarcharum diſt. 99.

CONFVTATVR FORTITER NOVATOR IV. C.

XV. Sexto, dum in eundem ipſum Ioannem Conſtantinopolitanum Patriarcham fulmen excommunicationis interminatur, niſi cito emendaret, quod deliquiſſet. Septimo, dum inferius (vt audies) totidem verbis Romanam Eccleſiam à domino eſſe inſtitutam caput omnium Eccleſiarum affirmat. Octauo, dum praxis oſtenditur de Orientalibus Patriarchis conſulere conſuetis Apoſtolicam ſedem, atque ab ipſa de ambiguis expectare ſententiam. Nono, dum veteri conſuetudine ſeruatum & Synodali decreto firmatum tradit, vt ex vniuerſo Orbe maiores & difficiliores cauſæ ad ſedem Apoſtolicam deferrentur. Decimo, dum eminentiori ſolio conſtitutus, lata ſententia infames eſſe decernit, quicumq; aduerſus Patres armantur, veluti eorundem inuaſores & occiſores. Vndecimo, dum ad calcem ait ipſos Romanos Pontifices in Eccleſia Catholica vindices canonum præſidere, eoſdemq; inſtaurare ac renouare, quæ prauorum hominum eſſent labefactata conatu. hæc de ex Pelagij Papæ epiſtola, ex cuius fragmento abrogationem primatus Romanæ Eccleſiæ ſe elicuiſſe ſtulte vaniloquus exiſtimauit.

XVI. Sit modo ſatis tot virgis verberatum è ſcena fugaſſe miſerum Leguleium in Theologum ex improuiſo conflatum, vane exiſtimantem ex animi libitu atque libidine maiore facilitate quempiam poſſe profiteri Theologum, quam euadere Iuriſperitum, cum ad hoc perficiendum triduum ſibi ſatis eſſe putarit Orator c. Quod vero eadem leuitate atque etiam procacitate, qua Pelagium, Gregorium quoque Papam conatus eſt hæreſis conſtituere aſſertorẽ: nos, quæ ex Gregorio citat, cum res Gregorij proſequemur, in ipſum pariter retorquebimus. Cum igitur tot firmiſſimis aſſertionibus Pelagius Papa in hac epiſtola ſit promulgator atque aſſertor primatus Romanorum Pontificum: quis ingenio adeo obtuſus non videat, ipſum, dum ait nullum Patriarcharum dici debere Vniuerſalem, ad illos Orientales, ad quos ſcribit, habuiſſe reſpectum? Sed iam reliqua eius epiſtolæ proſequamur, ait enim:

c Cic. pro Muræna.

XVII. a 1. Pet. 5. RELIQVA EIVSDEM PELAGII EPISTOLÆ. *Adverſarius* a *namque noſter diabolus, qui contra humiles ſæuiens, ſicut leo rugiens circuit quærens, quem deuoret, non iam (vt cernimus) caulas circuit, ſed ita valide in quibuſdam Eccleſiæ neceſſarijs membris dentem figit, vt nulli ſit dubium: quia niſi vnanimiter, fauente Domino, cunctorum prouida paſtorum turba concurrat, omne (quod abſit) citius ouile delaniet. Perpenditis, fratres chariſſimi, quid è vicino ſubſequatur, cum & in ſacerdotibus erumpunt tam peruerſa primordia. quia enim iuxta eſt ille, de quo ſcriptum eſt* b

b Iob. 41. *: Ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ (quod non ſine graui dolore dicere compellor, dum frater & coepiſcopus noſter Ioannes mandata Dominica & Apoſtolica præcepta, regulaſque Patrum deſpiciens, eum præ elatione præcurrere conatur è nomine) veſtræ beatitudini indicet omnipotens Deus, quam graui conſiderationis huius gemitu torqueor, quod ille quondam mihi notiſſimus, ille omnibus dilectus, qui eleemoſynis, orationibus, atque ieiunijs videbatur occupatus, & ex eo, quo ſedebat cinere, ex ea, quam prætendebat, humilitate iactantiam tantam ſumpſit, ita vt vniuerſa ſibi tentet aſcribere, & omnia, quæ ſoli vni capiti cohærent, videlicet Chriſto, per elationem pompatici ſermonis, eiuſdem Chriſti ſibi ſtudeat membra ſubiugare.*

XVIII. DIABOLVS PER SVPERBIAM TENTAT QVOSQVE OPTIMOS. *Nec mirum, quod ille tentator, qui initium omnis peccati ſcit eſſe ſuperbiam, & tunc eam in primo homine ante omnia vſus eſt, & nunc eam in quibuſdam hominibus ponit in fine virtutum: & qui aliquatenus bonis vitæ ſtudijs videbantur crudeliſſimas manus eius effugere, eis in ipſis metis boni operis, & in ipſa quodammodo apponat perfectionis concluſione tendiculum. Vnde magnopere orandum eſt, & omnipotens Deus aſſiduis precibus implorandus, vt hunc à mente illius auertat errorem, hoc ab vnitate atq; humilitate Eccleſiæ malum ſuperbiæ & confuſionis amoueat: & fauente Deo, omnibus viribus concurrendum, atque prouidendum, ne in vnius veneno ſermonis viuentia in Chriſti corpora membra moriantur. Si enim dici hoc licenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur: & fortaſſe is in errore perit, qui Vniuerſalis dicitur, & nullus iam Epiſcopus remanſiſſe in ſtatu veritatis inuenitur.*

XIX. ADMONITIO AD EPISCOPOS. *Oportet ergo, vt conſtanter, ac ſine præiudicio ſeruetis, ſicut accepiſtis, Eccleſias, & nihil ſibi in vobis hæc tentatio diabolicæ vſurpationis aſcribat. State fortes, ſtate ſecuri. Scripta, quæ Vniuerſalis nominis falſitate condemnata ſunt, nec dare vnquam, nec accipere præſumatis. Omnes Epiſcopos curæ veſtræ ſubiectos ab huius adulationis inquinatione prohibete: vt vniuerſa vos Eccleſia Patriarchas non ſolum in bonis operibus, ſed etiam in veritatis* *

* vnitatis *auctoritate cognoſcat. Si qua autem forſitan aduerſa ſubſequantur: vnanimiter perſiſtentes, etiam moriendo debemus oſtendere, quia in damno generalitatis noſtrum ſpecialiter aliquid non amamus. Dicamus cum Paulo* c *: Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Audiamus, quod primus omnium Apoſtolorum dicit* d

c Philip. 1. d 1. Pet. 3. *: Si quid patimini propter iuſtitiam, beati eritis. Mihi enim credite, quia honorem, quem pro prædicanda ſuſcepimus veritate, ſi necesſitatis cauſa exigat, ſecurius pro eadem veritate relinquimus, quam tenemus. Orate fratres, vt honor Eccleſiaſticus noſtris diebus non euacuetur, nec vnquam Romana ſedes, quæ inſtituente Domino, caput eſt omnium Eccleſiarum, priuilegiis ſuis vſquam careat, aut expolietur.*

XX. *Confidimus autem de vobis: chariſſimi, meliora atque viciniora ſalutis: quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque inſtantia, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia (Magiſtro Gentium* e

e Heb. 6. DE PROVINCIIS RESPONSIO PELAGII. *docente) poterit nos ſeparare à charitate Domini noſtri IESV CHRISTI, & quam ipſa eſt, recta fide.* & poſt multa, quibus eos admonuit & cohortatus eſt ſacerdotali conſtantia agere, hæc ad finem habet de conſultatione ipſorum: *De cætero, fratres, ſuper prouinciæ cauſa, vnde ſedem Apoſtolicam dudum conſulere voluiſtis, videtur nobis ſufficienter tractatum à ſanctis prædeceſſoribus noſtris. Sed quia denuo noſtram mediocritatem de eadem re interrogare, dignum duxiſtis: ſcitote, certam prouinciam eſſe, quæ habet decem vel vndecim ciuitates, & vnum Regem, & totidem minores poteſtates ſub ſe, & vnum Epiſcopum, alioſque ſuffragatores decem vel vndecim Epiſcopos Iudices, ad quorum iudicium omnes cauſæ Epiſcoporum & reliquorum ſacerdotum ac ciuitatum cauſæ referantur, vt ab his omnibus iuſte conſona voce diſcernantur: niſi ad maiorem auctoritatem fuerit ab his, qui iudicandi ſunt, appellatum. Vnde non oportet, vt degradetur, vel dehonoretur vnaquæq; prouincia, ſed apud ſemetipſam habeat Iudices Sacerdotes & Epiſcopos ſingulos, videlicet iuxta ordines ſuos. Et quicumque cauſam habuerit, à ſuis Iudicibus iudicetur, & non ab alienis, id eſt, à ſuæ inſtu Iudicibus prouinciæ, & non ab externis, niſi (vt iam prælibatum eſt) à iudicatis fuerit appellatum. Si vero in qualibet prouincia ortæ fuerint quæſtiones, & inter ipſius prouinciæ Epiſcopos diſcrepare cæperit ratio, atque inter ipſos diſſidentes non conueniat: ad maiorem tunc ſedem referantur: & ſi illæ facile & iuſte non diſcernuntur, vbi fuerit Synodus regulariter congregata, canonice & iuſte iudicentur. Maiores vero & difficiles quæſtiones (vt ſancta Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit) ad ſedem Apoſtolicam ſemper referantur.* & poſt alia nonnulla, hæc de die, qua ſcripta eſt: *Data Kalendis Martij, Indictione quinta.* Verum putamus, pro *Martij*, *Maij*, reſtituendum eſſe: ſiquidem non ampliùs, quam quatuor menſes numerat Euagrius à reditu Gregorij Antiochiam vſq; ad terræmotum, qui incidit (vt ait) pridie Kalendas Octobris.

Hæc quidem omnia de iudicio vniuerſalis Concilij Conſtantinopoli habiti videtur ſcripſiſſe Pelagius aduerſus eundem Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ſibi totius Orientis Epiſcoporum iudicia arrogantem, & cauſam Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopi iudicantem: aduerſus quam præſumptionem alias ſæpe proclamatum à Romanis Pontificibus, ſuperius vidimus. XXI.
Ratam tamen habuiſſe Pelagium Papam abſolutionem Gregorij Patriarchæ Antiocheni, ex dicta epiſtola Gregorij Papæ ad Euſebium Theſſalonicenſem ſatis apparet. Quod inſuper Pelagius Papa eadem ſua epiſtola tradat, numquam antea aliquem Conſtantinopolitanorum Antiſtitum fuiſſe permiſſum eo vti nomine Oecumenici, ſed omnes ipſorum conatus retuſos, penitusq; repreſſos eſſe à Romanæ Eccleſiæ Pontificibus: vel hinc ſaltem potes liquido perſpectam habere Græcorum impoſturam (quod ſuperius admonuiſſe meminimus) in Actis Quintæ Synodi, in quibus paſſim legitur Conſtantinopolitanum Epiſcopum Oecumenicum appellari.

Sed ad Gregorium redeamus. Hic accuſatus à ſuis, & perſecutionem paſſus à Præfecto, reus compulſus in Synodo Cōſtātinopolitana cauſam dicere, penitus abſolutus, liberq; cum honore in ſuā remeauit Antiochenam Eccleſiam. Quam autē ſeuere vltus ſit Deus Antiochenos, qui eum diræ adeo inceſſantiq; ſtudio ſunt perſecuti, Euagrius teſtis eſt, relictumque plane fuit exemplum poſteris poſt multa alia, quæ videri poterant exoleuiſſe, magno periculo inſurgere populos in ſuos Epiſcopos, & à luporum parte ſtare oues aduerſus paſtorem ſuum. Quod igitur Antiochiæ habitatores omnes tam nobiles, quam ſtatu humiles, diuites atque pauperes, æque conuenerint aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius, omnes pariter eadem inſecuta eſt vltio diuinitus immiſſa, nempe terræmotus diruta ciuitate, atque oppreſſis hominibus: quo & ipſe auctor ductorq; prauorum Aſterius, quem diximus, miſere periit: cuius vero Epiſcopus, qui fuerat iam innocens abſolutus: vt plane viſus ſit Dominus præiudicata iterum iudicare, & damnans ſontes, innocentem veluti digito demonſtrare. Sed quæ quomodo ſe habuerint, Euagrius exacte deſcribit, quem audi f: XXII. POPVL... ANTIOCHENV... LVIT PO... NAS DE PERSE... TIONE SVI E... SCOPI.

f Euagr. ... XXIII. ANTI... *Quatuor menſibus poſt reditum Gregorij dilapſis, anno ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo poſt nomen Antiochiæ vrbi impoſitum, & anno ſexageſimo primo poſt terræmotum, qui proximus ante in ea ciuitate extitiſſet: cum ipſe Aſterius Gregorij inimicus pridie Kalendas Octobris teneram virginem in vxorem duceret, & ciuitas propterea feſtum celebraret, & publicus conuentus cum pompa circiter thalamum iugalem ageret, tertia hora poſt crepuſculum turbatio & terræmotus ſimul cum impetu irruens totam ciuitatem concutit, multaque loca congreſſatis fundamentis, deturbat: adeo vt omnia ædificia circa Eccleſiam ſanctiſſimam ad terram proſternerentur, excepto ſolo hemiſphærio, quod Ephræmius ex lauro conſtruendum curauerat, quodque terræmotu temporibus Iuſtini facto non parum aſſperat*

perat imminendi: quod denique terræmotibus, qui deinceps acciderunt, grauiter agitatum, ita inclinabatur verſus Septentrionem, vt ni trabs lignea obſiſteret, quæ cum ingenti fragore ceciderunt, hemiſphærio in proprium locum reſiliente, & velut perpendiculo quodam directe locato. Multæ vero partes Oſtracinæ & Pſephium, de quo ſupra diximus, & omnia illa loca, quæ Briſia vocantur, quinetiam ædificia ſanctiſſimi templi Deiparæ Mariæ corruerunt, media quadam porticu mirum in modum conſeruata. ſecundum illud lugentis Hieremiæ *a*: *Demolitus eſt tabernaculum ſuum. & Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ.* pergit inſuper.

XXIV. *Porro autem omnes turres, quæ in plano conſtructæ erant, diſiectæ ſunt, reliquo ædificio, pinnis muri exceptis, integro ſtante, manentque: pinnarum autem lapides nonnulli retro pulſi, minime tamen prolapſi ſunt. alia præterea templa, & vtrumque balneum publicum, quod duobus diſtinctum temporibus inſeruit, eadem oppreſſit calamitas. Multitudo quoque promiſcue eſt eadem mulctata clade: & (vt quidem coniecturam ex pane, qui in tota ciuitate conſumi ſolet, faciunt) hæc lues ſexaginta hominum millia extinxit. Verum Epiſcopus præter omnium expectationem euaſit incolumis, toto domicilio, in quo ſedebat, ruinam paſſo, & ſolis illis, qui eum circumſtabant, ſeruatis, alio præterea nemine: qui cum eum in feſtatione ſubleuantes, cum terræmotus locum ſecunda concuſſione pateſaceret, per ſunem demiſſum è periculo eripuerunt.*

XXV. *Accidit autem in hoc infelici caſu res quædam ciuitati perſalutaris. Nam clementia Dei propitij furorem ſuum mitigantis, & roga miſerationis & miſericordiarum peccata populi corrigentis, nullum incendium factum eſt, cum ingens flamma, quæ partim ex focis & lucernis tam publice, quam priuatim accenſis, partim ex culinis, balneis, & aliis locis prope infinitis erumpebat, totam vrbem inuaſerit. Hoc terræmotu oppreſſi fuere tum nobiles & illuſtres viri quamplurimi, tum Aſterius vna extinctus. Quam cladem vrbi inflictam pecunia ſarſit Imperator. Quod autem ad exercitum pertinet: eodem fere loco fuit: adeo vt barbari perſuaſum haberent, neminem eos prohibiturum, quo minus ſuo more graſſarentur, & in fines Romanorum irruerent. Verumtamen Germanus cum ſuis copiis illis obuiam profectus, vi manuque ſic profligauit, vt nec vnus fuerit reliquus, qui cladem cæteris Perſis nunciaret.* huc uſque Euagrius, quæ poſt hæc ſecutæ ſunt perturbationes in exercitu, dicemus inferius ſuo loco. Codrenus *a* hoc item anno accidiſſe tradit, vt Mauritius Imperator ſororem ſuam Gordiam Philippico in matrimonium dans, eundem Orienti præfecerit, ſed quæ ex hoc ſecutæ ſint turbæ, dicemus anno ſequenti.

a Cedren.

XXVI. Subdit idem auctor, de Cagano, qui cum eſſet Dux Auarum, pace violata in Longum murum apud Conſtantinopolim prædando excurrit: quando Commentiolus Dux Romani exercitus de improuiſo barbaros adortus, magna multitudine cæſa, eos abegit: *Inde* (inquit) *cum Hadrianopolim veniſſet, in Andagaſtum incidit Sclauinorum Ducem, qui prædam agebat: In hunc facto impetu prædam recepit, inſigni potitus victoria.* addit hæc inſuper:

XXVII. *Eo tempore Græci quidam in domo cuiusdam prandentes, eo prolapſi ſunt, vt in Virginem Deiparam conuicia atque execrationes iacerent. Horum reliqui illico a malis correpti ſpiritibus, pœnas dederunt. Dominus autem domus illius per ſomnium vidit aſtare ſibi Deiparam: quæ alloqui ipſum non dignata, pedes eius virgula veluti notis impreſſis circumſcripſit. Ille autem præ dolore ſtatim euigilans, pedes ſuos inciſos inuenit: geſtatus in publicum, ibique expoſitus, iuſtum Dei iudicium & inculpatæ Virginis Deiparæ contra ſe indignationem profeſſus eſt.* hæc ipſe hoc anno Imperatoris ſecundo.

XXVIII. Quod ad res pertinet Occidentalis Imperij, hoc anno, qui & ab obitu Clotarij Francorum Regis numeratur Gunthramni eius filij regni vigeſimus ſecundus, celebrata eſt ſecunda Synodus Lugdunenſis *b*, cuius extãt ſex canones, quibus ſancitas ante à prædeceſſoribus Eccleſiaſticas regulas innouantes, hoc de leproſis Patres addiderunt: *Placuit etiam vniuerſo Concilio, vt vniuſcuiuſque ciuitatis leproſi, qui intra territorium ciuitatis ipſius aut noſcuntur, aut videntur conſiſtere, ab Epiſcopo Eccleſiæ ipſius ſufficientia alimenta & neceſſaria veſtimenta accipiant: vt illis per alias ciuitates vagandi licentia denegetur.* hæc Synodus, cui ſubſcripſerunt Epiſcopi octo, Vicarij vero Epiſcoporum duodecim. Inter Epiſcopos eminebat Syagrius Epiſcopus Auguſtudunenſis Sanctis adnumeratus, honeſtatuſq; ab Eccleſia anniuerſaria ipſius natalis memoria, extat ad eum Fortunati epiſtola in præfatione egregij operis, quod periit.

Hoc item anno, qui ſecundus numeratur Reccaredi Hiſpaniarum Regis, ipſe Rex Catholicus nonniſi Catholicam iugalem ſibi quærens, quam ſciebat bene ſanctis dogmatibus inſtitutam, probeque educatam Chilperici Francorum Regis filiam ſibi in matrimonium dari, miſſa legatione petiit: quod & eſt feliciter conſecutus, accepta in coniugem Badda virgine maxime pia, quæ poſt annum ſequentem vna cum Rege ſubſcripta reperitur Concilio Toletano, vt ſuo loco dicemus. Hæc fuit illa legatio, cuius Gregorius Turonenſis *c* meminit, magnamque legationem appellat, qua de nuptiis actum eſt Regis Hiſpaniarum. At licet nomen virginis nuptæ non prodat: tamen quod hoc factum anno certum ſit ex ipſius aſſertione, dum res geſtas Francorum proſequẽs, eaſdem per annos Regis Sigeberti diſponit, collocatq; ſub anno eiuſdem Regis nono, qui eſt præſens annus Domini quingenteſimus octogeſimuſſeptimus: & cum reperiatur in Actis Synodi Toletanæ poſt ſequẽtem annum celebratæ, vxor eiuſdem Regis Badda nominata: non aliam ab hac ipſi Regina ex Francis petita eam fuiſſe dicere poſſumus: etenim quam conſtat in matrimonium duxiſſe Clodoſuindam filiam Brunichildis & ſororem Childeberti Regis, longe poſt accidit, nempe (vt ex eodem Gregorio patet *d*) anno Domini quingenteſimo nonageſimo ſecundo, anno videlicet (vt ponit) decimoquarto eiuſdem Sigeberti Regis. Cæterum in chronographia regni Reccaredi nos ſecuti Acta Toletani tertij Concilij, impegimus in mendoſam Eram, ex qua poſuimus hoc anno eiuſdem regni annum ſecundum, & quidem male: quem errorem à nobis examinatum & emendatum inuenies inferius anno Redemptoris quingenteſimo nonageſimoprimo. §. Sed hic rogo ſiſte gradum. Quod vero attinet ad Baddam & Clodoſuindam, de quibus hic habetur mentio, cum ex eodem Gregorio conſtet, anno poſt hunc quinto, nimirum Childeberti Francorum Regis decimo quarto, Reccaredum duxiſſe Clodoſuindam eiuſdem Childeberti Regis ſororem: dicendum omnino videtur, Baddam illam, quæ ſubſcripta reperitur Concilio Toletano, biennio poſt has nuptias celebrato, ex vera ſupputatione inferius declarata eamdem eſſe cum iſta Clodoſuinda, eo modo, Baddam, mutato nomine, dictam: vel eiuſmodi additum ipſi cognomen. Quod vero attinet ad filiam Chilperici, quam primo Leouigildus Reccaredo filio obtinuerat, cum ex Gregorio conſtet, ipſam inuitiſſimam in Hiſpaniam deductam eſſe: veriſimile eſt eam breui mœrore conſumptam, viuere deſiiſſe. Demum (vt ad Baddam redeamus) ſi negetur, Clodoſuindam eandem eſſe cum ipſa: tunc omnino dicendum erit, Baddam tertiam fuiſſe vxorem Reccaredi, quam duxerit poſt obitum Clodoſuindæ.

XXIX. RECCAREDI CONIVGIVM.

c Greg. hiſt. Franc. lib. 6. c. 45.

d Greg. hiſt. lib. 9. c. 26. 28.

XXX. Verum non Baddam primum deſponſam à Chilperico Rege Reccaredo fuiſſe, ſed aliam filiam collocatam apud ſanctam Radegundem in celeberrimo illo Pictauienſi monaſterio, quam ſuſceperat ex Audouera, teſtatur *e* ipſe Gregorius, quam & Baſinam appellatam inferius prodit *f*. De hac igitur imprimis iſta Gregorius: *Voluit enim tunc aliam filiam illuc dirigere, quam de Audouera habebat, & eam in monaſterio Pictauienſi poſuerat: ſed illa diſtulit, reſiſtente præcipue beata Radegunde, ac dicente: Non eſt enim dignum, vt puella CHRISTO dicata iterum ad ſeculi voluptates reuertatur.* hæc ipſe, qui & eam remanſiſſe in eodem monaſterio, ex iis, quæ inferius tradit *g*, oſtendit.

RADEGVNDIS SERVAT VIRGINEM DEO DICATAM.

e Idem lib. 6. c. 34.

f Idem lib. 9. c. 39.

g Idem lib. 9. c. 39.

XXXI. Sed quæ poſt hæc in Galliis ſecuta ſint mala, ex eodem auctore narrentur. Tunc enim temporis cum filius paruulus Chilperici moreretur, Fredegundis Regina

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

exiſtimans à maleficiis id factum eſſe, de iiſdem duriſſimam exercuit quæſtionem: in crimenq; vocatus eſt Dux exercitus Mummolus, de quo ſuperius mentionem fecimus: qui poſt dira tormenta coactus eſt miſerrime mori. pluribus proſequitur iſta Gregorius *a*; qui & quomodo vltus eſt Dominus, quæ reges ſibi videntur impune deliquiſſe (ſiquidem hoc anno ipſe Chilpericus Rex occiditur) rem geſtam ſic narrat *b*:

a Greg. hiſt. lib. 6. c. 35.

b Greg. lib. 6. c. 46.

XXXII. REX CHILPERICVS OCCIDITVR.

Chilpericus Nero noſtri temporis & Herodes ad villam Calenſem, quæ diſtat ab vrbe Pariſiaca quaſi centum ſtadiis, accedit, ibique venationes exercet. Quadam vero die regreſſus de venatione, iam ſub obſcura nocte, dum de equo ſuſciperetur, & vnam manum ſuper ſcapulam pueri retineret, adueniens quidam cum cultro percutit ſub aſella, iteratoq; ictu ventrem eius perforat: ſtatimque profluente copia ſanguinis tam per os, quam per aditum vulneris, iniquum fudit ſpiritum. & poſt nonnulla, quibus recenſet eius ſcelera Nerone digna, addit de odio, quo flagrabat aduerſus ſacerdotes & Eccleſias, & inter alia de his, quæ ſpectant ad bona Eccleſiaſtica, quorum expilator erat.

XXXIII. NEFANDA SCELERA REG. CHILPERICI.

Aiebat enim (addit Gregorius) *plerumque: Ecce pauper remanſit fiſcus noſter: ecce diuitiæ noſtræ ad Eccleſias ſunt translatæ. Nulli penitus, niſi ſoli Epiſcopi regnauit: periit honor noſter, & translatus eſt ad Epiſcopos ciuitatum. Hæc agens aſſidue, teſtamenta, quæ in Eccleſiis conſcripta erant, plerumq; diſrupit.* Vides quales eſſe ſoleant homines Neroni atque Herodi ſimiles, qui talia dicerent ac perpetrarent. Sed ac ſi pauca de eo mala narraſſet, hæc addit: *Iam de libidine atq; luxuria non poteſt reperiri in cogitatione, quod non per[?] aſſet in opere. Noua ſemper ad lædendum populum ingenia perquirebat. Nam ſi quos hoc tempore culpabiles repeiſſet, oculos eius iubebat erui, & in præceptionibus, quas ad Iudices pro ſuis vtilitatibus dirigebat, hoc addebat, Si quis præcepta noſtra contempſerit, oculorum auulſione mulctetur, &c.*

XXXIV. c Greg. hiſt. Franc. lib. 8. c. 5. DE CHILPERICI REGIS DAMNATIONE VISIO.

Sed quid de eo per viſum oſtenſum ſit Gunthetramno Regi, Gregorius ita narrat *c*: *Rex ait: Vidi & ego aliam viſionem, quæ huius interitum nunciauit. Adducebatur enim in conſpectu meo à tribus Epiſcopis vinctus catenis, quorum vnus Tetricus, alius Agricola, tertius vero Nicetius Lugdunenſis erat. è quibus dicebant duo: Soluite, quæſo, eum, & caſtigatum abire permittite. Quibus è contrario cum amaritudine Tetricus Epiſcopus reſpondebat: Non fiet ita, ſed igne concremabitur pro ſceleribus ſuis. Et cum diu multumq; quaſi altercantes, hæc inter ſe verba proferrent: conſpicio eminus æneum ſuper ignem poſitum ferue vehementer. Tunc me flente, apprehenſum infelicem Chilpericum, confractis membris, proiiciunt in æneum: nec mora inter vndarum vapores ita diſſolutus ac liquefactus eſt, vt nullum ex eo penitus indicium remaneret.* hæc à Rege Gregorius & alij, qui aderant, accepere.

XXXV. d Greg. hiſt. Franc. lib. 8. c. 9. & 31.

Reliquit Chilpericus filiolum infantem Clotarium nomine nondum baptizatum, de quo ſæpe Gregorius *d*. Profecit nonnihil tali ſibi oſtenſo viſo Rex Gunthetramnus, cuius hoc anno clementia refulſit in ſuſcipiendo Ætherio Epiſcopo calumniis diu multumque circumuento, eumque muneribus exornando, & ſuis epiſtolis ad Epiſcopos comitando. rem geſtam pluribus idem Gregorius ſcribit *e*, eiuſdem Regis commendans benignitatem & miſericordiam: quem & ad ambientes Epiſcopatum Bituricenſem hæc eodem tempore reſpondiſſe tradit *f*: *Non eſt principatus noſtri conſuetudo, ſacerdotium venundare ſub pretio, ſed nec veſtrum eum præmiis comparare: ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos mago Simoni comparemini: ſed iuxta Dei præſcientiam Sulpitius vobis erit Epiſcopus. Et ſic ad clericatum deductus, Epiſcopatum Eccleſiæ ſupradictæ ſuſcepit. Eſt enim vir valde nobilis, & de primis Senatoribus Galliarum, in litteris bene eruditus rhetoricis, in metricis vero artibus nulli ſecundus. Hic Synodum illam: cuius ſupra meminimus, de parochiis Cadurcinis fieri commonuit.* Sed & quod præſtat cæteris, idem electus Sulpitius egregia nituit ſanctitate viuens, mortuuſq; pariter Sanctus eſt cultus, honeſtatuſq; ab Eccleſia anniuerſaria ipſius diei natalis memoria. Quod vero ad Synodum ſpectat, fuit ea celebrata Auerni proſedandis turbis obortis inter Epiſcopos Rutenorum & Cadurcenſium occaſione diœceſis vſurpatæ, vt idem Gregorius docet *g*.

e Greg. lib. 6. c. 36.

f Greg. lib. 6. c. 39.

g Greg. lib. 6. c. 38.

XXXVI. h Greg. lib. 6. c. 37. LVPENTI ABB. MARTYRIVM.

Sed quæ miranda de cæde martyris tunc acciderint, accipe ex eodem Gregorio, vbi ait *h*: *Lupentius vero Abbas baſilicæ S. Priuati martyris vrbis Gabalitanæ à Brunichilde Regina accerſitus aduenit: incuſatus enim (vt ferunt) fuerat ab Innocentio ſupradictæ vrbis Comite, quod profanum aliquid effatus de Regina fuiſſet. Sed diſcuſſis cauſis, cum nihil de crimine maieſtatis conſcius eſſet inuentus, diſcedere iuſſus eſt. Verum vbi viam carpere cœpit, iterum ab antedicto Comite captus, & ad Ponticonem villam deductus, multis ſuppliciis eſt affectus. Dimiſſuſque iterum, vt rediret, cum ſuper Axonam fluuium tentorium tetendiſſet, iterum irruit ſuper eum inimicus eius. Cumque oppreſſi amputatum caput in culeum oneratum lapidibus poſuit, & fluminí dedit: reliquum vero corpus vinctum cum ſaxo immerſit gurgiti. poſt vero paucis apparuit quibuſdam paſtoribus, & ſic extractum de flumine ſepulturæ mandatum eſt.*

XXXVII. MIRO MODO DETECTVM [?] CADAVER.

Sed dum neceſſaria funeri pararentur, & ignoraretur, quis eſſet de populo, præſertim cum caput truncati non inueniretur: ſubito adueniens aquila leuauit culeum è fundo fluminis, & ripæ depoſuit. Admirantesque, qui aderant, apprehenſo culeo, dum ſolicite, quid contineret, inquirunt, caput truncati reperiunt, & ſic cum reliquis artubus eſt ſepultum. Nam ferunt nunc & lumen ibi diuinitus apparere: & infirmus ad huius tumulum fideliter deprecatus fuerit, accepta ſoſpitate recedit. hucuſque Gregorius.

XXXVIII. SALVIVS EPISC. [?] TVR. i Greg. hiſt. Franc. [?] c. 1.

Sed iungamus martyri confeſſorem. Hoc enim eodem anno, quo Chilpericus occiſus eſt, idem auctor teſtatur migraſſe ex hac vita ſanctum Saluium Epiſcopum Albigenſem mirificæ ſanctitatis virũ, de quo plura præclare geſta idem Gregorius narrat *i*, quem tu conſulere poteris.

XXXIX.

In fine autem præſentis anni hic ea reddamus ſumma admiratione digna, quæ S. Gregorius Papa in fine Dialogorum ſuorum accidiſſe tradit ante ſeptennium, eſt enim hic ipſe annus, numerãdo à quarto anno eius Pontificatus, quo (vt dicemus) librum illum ſcribebat. Ait ergo ipſe *k*: *Ex alia etiam re, quæ nobis ante annos ſeptem geſta eſt, certiſſime confirmatur. Agathus enim Panormitanus Epiſcopus (ſicut fideles mihi ac religioſi viri multi teſtati ſunt, atq; teſtantur) cum beatæ memoriæ anteceſſoris mei tempore iuſſus eſſet, vt Romam veniret, vim nimiæ tempeſtatis pertulit, ita vt ſe ex tanto vndarum periculo euadere poſſe diffideret. Nauta vero illius Baraca nomine, qui nunc eiuſdem Eccleſiæ clericatus munere fungitur, poſt nauem carabum regebat: ruptoq; fune, cum eodem carabo, quem regebat, inter vndarum cumulos repente diſparuit. Nauis autem, cui Epiſcopus præerat, tandem poſt multa pericula ad Vſticam inſulam fluctibus quaſſata peruenit. Cumq; die tertio Epiſcopus nautam, qui ab æquore arreptus in carabo fuerat, in nulla maris parte videret apparere, vehementer afflictus mortuum credidit: ſed poſt obſequium charitatis viuo vnum, quod mortuo debebat, impendit. & omnipotenti Deo pro abſolutione eius animæ offerri ſacrificium victimæ ſalutaris iubet. Quo oblato, reſtaurata naue, perrexit ad Italiam. Cumq; ad Romanum portum veniſſet, illic nautam reperit, quem mortuum putabat. Tunc inopinata exultatione gauſus eſt, & eum qualiter tot diebus in illo tanto maris periculo viuere potuiſſet, inquiſiuit.*

k Greg. lib. 4. Dialog. c. 57.

XL. [?] MIRACVLVM.

Qui videlicet indicauit, quoties in illius tempeſtatis fluctibus cum eodem, quem regebat, fuiſſet carabo verſatus, qualiter cum illo vndis pleno natauerat: & quoties eo à ſuperiori parte deorſum verſo, ipſe carinæ eius ſuperſideret, adiungens: Cumque diebus ac noctibus hoc inceſſanter faceret, iamque eius virtus funditus ex fame ſimul & labore decidiſſet, quo eum ordine diuina miſericordia ſeruauerit, indicauit. Etenim quod etiam nunc vſque teſtatur, dicens: Laborans in fluctibus atque deficiens, ſubito mentis pondere ſum grauatus, ita vt neq; vigilare me crederem, neque depreſſus ſomno eſſem, & ecce in eodem medio mari mihi poſito quidam apparuit, qui mihi panem ad refectionem detulit: quem mox vt comedi, vires recepi. Nec longe poſt nauis tranſiens aſſuit, quæ me ab illo vndarum periculo ſuſcepit, atque ad terram deduxit. Quod ſcilicet Epiſcopus audiens, requiſiuit diem: atque

illum

illum falſo dicum reperis, quo pro eo presbyterum in Vſtica inſula Deo omnipotenti hoſtiam ſacræ oblationis immolauit. Ad hæc Petrus: Ea, quæ narras, ipſe quoque in Sicilia poſitus agnoui. hæc Gregorius. Reliqua vero ſequenti anno.

XII. Eiuſdem quoque anni nota conſignatum repertum eſt epitaphium Cæſariæ fœminæ dignæ memoriæ, quam putauerunt aliqui illam eſſe clariſſimam fœminam S. Cæſariam Abbatiſſam ſororem S. Cæſarij Archiepiſcopi Arelatenſis, ſed temporis ratio id opinantes erroris arguit: nam ex iis, quæ ſuperius dicta ſunt, certum habetur, ante annos ferme octoginta, ipſam iam fuiſſe Abbatiſſam, adeo vt impoſſibile ſit in hunc vſque Chriſtianum fuiſſe ſuperſtitem: ſed & iſta coniugata fuiſſe videtur, illa virgo. Epitaphij autem tantum quatuor vltimi verſus extant, fracta enim tabula ſuperiores periere, hi autem ſic ſe habent:

Menſibus & geminis concludens tempora vitæ
Vouit in æternum nullum moritura per æuum,
Iſta Valens fieri fletu manante rogauit,
Iura ſacerdotij ſeruans, nomenque iugalis.

Videtur autem Cæſaria iſta coniux fuiſſe Valentis, qui (vt ſæpe fieri contingebat) ex cōiugio tranſierit, conſentiente vxore, in ſacerdotium; poſt verſus hæc ſequebatur inſcriptio:

Obiit bonæ memoriæ Cæſaria medium noctis
Die Dominico inluceſcente VI. ID. Decembris
Quatragies & VI. P.C. Baſilij Iunioris V.C.C.
*Anno * XII. Regni Domini Childeberti Regis*
Indictione quinta.

* VII. *Childeberti XIII.

Qui autem miſit Romam, iſta de loco, vbi inuenta: *Iuxta oppidum ſancti Andreæ, quod in Gallia Oſcitana ſitum eſt diœceſis Aueniouenſis, in ſummitate montis, in capella in ipſa rupe exciſa: in qua ſancta Cæſaria agens pœnitentiam multos annos delituiſſe creditur. Videtur hoc epitaphium litteris Romanis maiuſculis in marmore ſemiſracto exaratum. Quod ego fideliter hic reddidi Franciſcus Claret Archidiaconus Arelatenſis.*

IESV CHRISTI

Annus 588.

Pelagii Pap. II.	Mauritii Imp.
Annus II.	Annus 5.

I. Qvingenteſimo octogeſimo octauo Chriſti anno, Indictionis ſextæ, Orientalis orbis ſtatus militum diſſenſione vacillat. Cum enim Romanus Dux, qui irruentes in Romanum ſolum barbaros vicerat, in ordinem redactus eſſet, & in locū eius Philippicus, cui ſuam ſororem Mauritius in matrimonium collocauerat, Orientalibus rebus præfectus fuiſſet, atq; iuraſſet exercitus huic non obedire, diſceſſionem fecit. Quomodo autem opera Gregorij Epiſcopi Antiocheni redditus eſt obediens Imperatori, Euagrius narrat his verbis *a*:

II. *Imperator Andream ſuorum ſatellitum facile principem mittit perſuaſurum exercitui, vt Duces manipulares, & alios Præfectos, quos antea habuerant, admitterent. Ac cum milites Andreæ adhortationem ne audire quidem ſuſtinerent, negotium ad Gregorium Epiſcopum Antiochenum transfertur, non ſolum quod res maximas commode conficere poterat, ſed quod multum honoris ei iure debebat exercitus: quippe nonnulli milites ab eo pecunia liberaliter donati erant, alij veſtitu & cibo & aliis rebus adiuti tum, cum in album militum relati & per eum admiſſi fuerant. Itaque nunciis ad loca ſingula miſſis, totum exercitum facile principes Litarbis (qui locus Antiochia abeſt circiter trecenta ſtadia) in vnum cogendos curat. Ad quos cum acceſſit, genibus humi poſitis, talem habuit orationem: Iampridem decreueram, ô Romani, &c.* & recitata oratione, Euagrius iſta ſubdit *b*:

III. *Hæc cum dixiſſet Gregorius, magnamque vim lachrymarum profudiſſet, omnium illorum mentes velut diuina quadam vi ac virtute momento temporis mutatæ ſunt: adeo vt poſtularent poteſtatem è conſeſſu exeundi, quo ſeparatim ipſi inter ſe quid agendum eſſet, deliberarent. Itaque haud diu poſt veniunt, ſe Epiſcopi voluntati atque arbitrio dedituros. At cum Gregorius Philippicum illis nominaret, quem voluit, vt ſibi Ducem peterent: reſpondent, tum ſe, tum vniuerſum exercitum ſancte iuraſſe, ſe nunquam id facturos. Tum ille ſine mora aut vlla cunctatione: Epiſcopo, inquit, conceſſum eſt & poteſtas data ſoluendi atque ligandi in cœlo & in terra. Sententiamque Euangelij illius curauit.*

IV. CONCILIATOS COMMVNICAT MILITES.

Cum vero illi etiam in hac re eius arbitrio cederent: Deum idcirco precibus & obſecrationibus placare cœpit, atque immaculato Chriſti corpore eis diſtributo (erat enim ſacroſancta illa dies, quæ ſanctæ Domini paſſioni proxima eſt) cum omnes, qui circiter duo millia erant, toris in herba ad eam rem confectis accumbentes cœna excepiſſet, poſtridie domum rediit, decreuitque, vt illi, quo loco vellent, in vnum conuenirent. Itaque Philippicum interim Tarſi Ciliciæ ætatem degentem accerſit, vt Conſtantinopolim mature contendat: deque his rebus refert ad Imperatorem, eique poſtulata exercitus de Philippico per litteras ſignificat. Milites autem Philippico poſtea Antiochiam profecto occurrunt, & hominibus, qui lauacro regenerationis tincti erant, ſibi vt pro eis deprecarentur, aſſcitis, ad genua Philippici accidunt. Qui cum dexteram illis dediſſet, ſe præteritæ culpæ memoriam obliuione penitus deleturum, cum eo denuo in militiam proficiſcuntur. hæc de reconciliatione exercitus per Gregorium facta Euagrius hoc anno, qui ſequens fuit à terræmotu.

V. Idemq; deſcribit bellicos ſub Philippico progreſſus in Perſidem, cum exercitui adeſſet Imperatoris mandato idem Gregorius Antiochenus Epiſcopus, qui in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio: cum ad perſuadēdum vſus eſt illis potiſſimum locis ex rhetorica Chriſtiana petitis, nempe humilitate ſimul & lacrymis. Quis non permouendus erat ac ſuadendus vel ipſo tantum aſpectu, cum videret genibus flexis perorantem cum lacrymis Patriarcham? Hi ſunt, inquam, ad perſuadēdum Chriſtianæ eloquentiæ loci efficaciſſimi ab animi demiſſione, corporiſque humiliatione quæſiti. Abeant, qui tumido faſtu cuncta, quæ ſunt humilitatis, indigna putant Epiſcopo, ſacrilegiumque exiſtimant vel inclinare ceruicem laico, antequam ab eo ſit ſalutatione præuentus. Cum enim ſalus quæritur animarum, cur (ſi expediat) non ſe inclinet Epiſcopus cuiuis homini, cuius cauſa humiliauit ſeipſum vſque ad mortem Deus factus homo.

COMMENDATVR HVMILITAS IN EPISCOPIS.

VI. Eodem anno *c* Mauritius Imp. auctus filio, eundem Theodoſium appellauit. Miſit idem Imperator hoc anno Legatos ad Childebertum Francorum Regem cum pecuniis, ſolicitans eum ad bellum aduerſus Longobardos ſuſcipiendum: ſed accepta pecunia cum remoraretur ille, & iſte iterata legatione eum vrgeret, Rex legatos illiberaliter tractans inanes dimiſit. verum permotus tandem, cum ad Italiam inuadēdam paraſſet exercitum, diſcordia Ducum re infecta reuertitur. narrat pluribus iſta Gregorius *d*:

c Cedren. Annal. hoc anno.

d Greg. Turon. lib. 8. 30 58.

VII. Infeliciter quoq; ceſſit bellum, quod parauerat Gunthetramnus aduerſus Gothos illos, qui hactenus in Gallia Narbonenſi ſedes ſemel fixas tenebant. Hoc illud plane prelium, de quo Iſidorus his meminit verbis, de Reccaredo cum agit *e*: *In belli quoque gloria ſatis clarus ac præcipuus extitit: De Francis enim cum ſexaginta fere armatorum copiis Gallias irruentibus, miſſo Claudio Duce aduerſus eos, glorioſo triumphauit euentu. Nam nulla vnquam in Hiſpaniis Gothorum vel maior, vel ſimilis extitit victoria: proſtrati ſunt enim & capti multa millia: reſidua pars exercitus in fugam verſa Gothiſque poſt tergum inſequentibus vſque ad regni ſui fines cæſa eſt.* hæc de victoria aduerſus Francos in Gallia Narbonenſi Gothorum ditione accepta Iſidorus, quam Gregorius ſilentio magna ex parte obuolutam reliquit, querelas tantum Gunthetramni Regis, qui expeditionem parauit, proſecutus, cum rem male geſtam ob militum ſcelera perpetrata deplorat.

e Iſidor. in Chron. Gothor.

RECCAREDVS FRANCOS VICIT.

Cæterum illa potius cauſa iniqua belli illati expen-